XI. D.j. ...

EXERCITATIO POLITICA.

De

COMITIIS.

Quam

DIVINA FAVENTE GRATIA,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Plurimum Reverendi, Ampliſsimi, atque Excellentiſsimi,

DN. JACOBI SCHALLERI,

SS. THEOLOGIÆ DOCT. ET PHILOSOPHIÆ PRACTICÆ PROFESSORIS P. UNDIQUAQUE CELEBERRIMI, FACULTATIS PHILOSOPHICÆ DECANI SPECTABILIS, DN. PATRONI, FAUTORIS, ATQUE PRÆCEPTORIS SUI OMNI OBSERVANTIÆ cultu devenerandi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SOLENNI

Eruditorum Diſquiſitioni ſubmittet

GEORGIUS HEINTZ, HAMBURGENS.

Die 10 Menſis Octobris.

ARGENTORATI.
Typis PASTORIANIS,

ANNO cIↄ Iↄc LXI.

VIRO

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, ATQVE AMPLISSIMO

DOMINO

PETRO WERDERMANN.

Hæreditario auff Niderſähre / Zſcheila / Gröbern / Geßen / und Baſelitz &c. Sereniſſimi Electoris Saxonici Conſiliario, & ſupremo Aerarii Redituumque Præfecto Graviſſimo, Mœcenati, Promotori, Fautori atque Affini, maximè Venerando.

Salutem & Obſervantiam.

MAgnum, Vir Magnifice, Nobiliſſime, Ampliſſime, Patrone magne, Magnum, inquam, Eruditionis momentum in Antiquitate contineri, cuilibet, Eruditorum in campo qui verſatus fuerit, conſtare, maximaque iſtius rei ſtudioſos delectatione affici, non negandum, mihi perſuadeo; id quod tum ex variis rerum generibus & ſcientiæ, & delectatione, non indignis, quum omnes ad Circumſtantias largè fuerint editæ, facilè patet. Cum Ergò inter alia ſtudia ad ea quoque adductus perſpicerem, quantus Eruditionis theſaurus iſtis in ſcriptis contineretur, haud inutile duxi, nec vanum laborem me ſuſcepturum exiſtimavi, ſi unam vel alteram ex illo Eruditionis campo materiam pro viribus defendendam ſuſciperem, ac quædam de ea in modum Diſputationis conſcriberem, qua & Obſervantiam erga Præceptores, & ſtudium erga Patronos, quibus me ſummoperè devinctum cenſeo, comprobarem; quod tamen, imbecillitatis meæ iuvenilis mihi optimè conſcius

ſcius

ſcius, vix conatus eſſem, niſi Admodum Reverendo, & Excell. Dn. BALTHASARI BOEBELIO SS. Th. Doctorand. PP. Patrono, Fautori ac Præceptori meo ſummè colendo, placuiſſet, id ſuo mihi conſilio iniungere, non quidem ac ſi ei materiæ viribus ſufficere poſſem paribus, ſed ut aliquod ſpecimen ſtudiorum meorum in lucem ederem, quibus ex conatu quodam bono laus eſſet petenda. Hoc ſi fortè promptius ſuſceperim, quam imbecillitas permiſſura ſit, non ideò me vituperandū exiſtimo, quippe qui ad perfectiora contendere allaboro. Placuit autē de COMITIIS materiā præ aliis eligere, ut quæ utilitatis multum in ſe continet, & uſu, cùm in Electione Imperatorum, tùm in conventibus Reip. conſervandæ cauſa conſtitutis, maxime approbatur. Verum enimverò hanc, Vir Magnifice, Nobiliſſime, &c. T. nomini inſcribendam duxi, Humanitate & benignitate T. Magnif: fretus, qua me abſentem, meosque proſequitur. Scio enim T. Magnif: ſolere quoque præter Curas & Occupationes graviſſimas, literarum ſtudiorumque meminiſſe, eaq; de cauſa eos, qui his operam navare conſtituerunt non imam, favore & amore largiori præ aliis proſequi. Cæterum rogo quæſoque T. Magnificentiam, ut hæc, quæ tàm in ſtylo, quàm in reliqua diſputandi materia, à me ex imbecillitate virium errata fuerint, benevolentiæ patrocinio tueri, ſerenaque fronte hanc meæ voluntatis declarationem ſolita comitate accipere, benigneque omnia interpretari velit. Meum erga T. Magnif. Obſervantiæ officium eſt, Deum immortalem precibus, (alia enim non licet via redhoſtimentum dare,) pro T. Magnif. incolumitate, devotiſſimis implorare, ut T. Magnif. cum omnibus, & Conſanguinitate, & Affinitate, iunctis, diu ſalvum incolumemque conſervare velit: Ita voveo ita precor.

T. Magnif. & Nobilitat.

omni obſervantia addictiſſimus
cliens

GEORGIUS HEINZ, Hamburg.
A. & R.

Deo Auspice.

Etiamſi in præcipuis eruditionis partibus Antiquitatis cognitio referenda ſit, tamen vix puto inter varia Veterum monumenta vel utilitate fructuoſius, vel meditatione dignius, vel labore ſpecioſius eſſe, quam quod de Comitiis conceptum eſt. Magnam certè Romanæ Hiſtoriæ partem, ut Livius oſtendit, materia iſta occupavit, ut peregrinus admodum & hoſpes in ea habendus ſit, qui iſta ſibi demonſtrari velit. De aliis gentibus idem, dicere licet, cum primis de Germania noſtra. Cùm igitur nihil facere ſoleant homines prudentes præter opinionem ſaltem alicuius utilitatis, clarum eſt, hanc quoque de Comitiis Eruditionem concernere eiusmodi materiam, quæ & re & opinione plurimum utilitatis Reipublicæ affert. Docebit, quod præfati ſumus, ipſa hæc noſtra Diſputatio, quam ſuſcepimus nulla virium fiducia, ſed conatu proficiendi in Veterum ſcriptis, & diſcendi, quæ neſcimus, ex noſtris Præceptoribus. Amplitudo materiæ tam vaſta eſt, ut præfari porrò non liceat, quare rem ipſam aggrediamur, freti, quod unicè imploramus, divini Numinis auxilio.

Thesis I.

Receptâ in Diſputationibus methodo progredimur, & conſideramus I. Comitiorum *Onomatologiam*, quæ complectitur I.
1. *Etymologiam*. Pleriſque vocabulum *Comitia* derivari videtur à Comeundo vel coëundo, quod populus his coire atque in unum

 locum

locum convenire ſolitus fuerit. Ita Limnæus. l. 9. de I. P. c. 1. ſcribit Perionius. *Comitium quidem à coëundo dici quaſi Coitium, ſed literam M. vocalitatis gratia interiectam eſſe.* l. 3. de Rom. Græc. Magiſt. pag. 366. D. Otto. diſſert. de I. P. cap. 13. pag. 461. qui citat Schönborn. 4. Polit. c. 33.

II. (2.) *Homonymia*. Sumitur vocabulum Comitia (1. pro ædibus, in quibus Comitia ſ. conventus imperii celebrabantur, ut conſtat ex Livio l. 27. c. 38. ita enim inquit: *Eo anno primum ex quo Annibal in Italiam veniſſet, comitium tectum eſſe, memoriæ proditum eſt.* Sleid. l. 4. de ſtat. Relig. pag. 91. ceu pro curiis regni, curiis ſolennibus, curiis regalibus, quæ vernacula lingua, Höffe/ Höffzierliche Höffe/ &c. appellantur. videatur Arumæus de Comitiis. c. 1. §. 30. (2.) pro conventu ordinum vel Legatorum, qui ad conſilia publica evocantur, germanicè Reichstäge/ Verſammlungs-Täge appellantur. vid. Limn. l. 9. c. 1. (3.) pro imperii decretis l. c.

III. (3.) *Synonymia*. Apud Latinos vocantur *congreſſus, concilia, congregationes populi*, ut conſtat ex Cic. l. 2. de LL. §. 31. his verbis: *Quid enim maius eſt, ſi de iure quærimus, quam poſſe à ſummis imperiis & ſummis poteſtatibus Comitia tollere, concilia vel inſtituta dimittere*, &c. Apud Gallos olim conventus Reipubl. cauſa inſtituti ab Hiſtoricis Latinis *Placita* Arum. c. 4. §. 5. ab ipſis verò Gallis *Parlemens* & *Sanes* dicti ſunt. referente Limnæo. l. 9. c. 1. I. P. §. 7. Apud Britannos eadem ratione *Parlamenti* nomen popularibus Ordinum Comitiis indictum, retinuerunt. Apud Hungaros talis conventus Rackhus dicitur vid. R. A. de anno 1542. §. wir haben auch. Apud Germanos recepta ſunt vocabula Reichs-Täge / Täge / Reichs-Verſammlungen / Zuſammenkunfften / hochzierliche oder Königliche Höffe &c. Quibus diverſorum Idiomatum appellationibus non eſt quod immoremur. Arum. c. 1. de Comit. §. 30. Grundſ. des heil. R. R. p. 1. c. 2.

IV. (4.) *Paronymia*. Duplex datur Paronymia; *Verbalis* & *Realis*. Verbalis tantum eſt ea, quæ ſenſu diverſo vocem de voce derivat. e. g. à Comitiis, dicitur *comitialis morbus*; alio nomine Herculeus. Germanicè der fallende Siechtagen / der Wehtagen / ſchwere Noth &c. Nomen accepit iuxta Roſinum. l. 6. c. 14. A. R. inde, *quod, ſi ipſis Comitiis morbo Herculeo correpto quisquam repentè*

conci-

com idiſſet, diſſolvenda erant Comitia, nec juſta eo die haberi poterant: unde etiam illi morbo nomen eſt Comitialis.&c. conferatur & Limnæus l.c. ſuperius. *Realis* eſt, quæ voci ſignificationem quoque iungit, quo ſenſu menſis Comitialis dicitur ap. Cicer. Orat. 7. in Verr. §.130. *Herodotus cùm Romam revertitur, diebus, ut ipſe putabat, quindecim ante Comitia offendit eũ menſem qui conſequitur menſẽ Comitialem* &c. II.

V. Dimiſſa *Onomatologia* pergimus II. ad *Pragmatologiam* in qua prætermiſſa quæſtione An ſint, disquiritur (1.) de definitione reali, quam hanc damus: *Comitia ſunt Conventus in quibus vel populus, vel populorum Magiſtratus, vel Magiſtratuum legati conveniunt ferendorum ſuffragiorum cauſa.* Propius ad hodiernum ſtatum accedit ſequens definitio, *Comitia ſunt conventus Cæſaris, atque Ordinũ imperii, ad ipſius imperii utilitatem.* conf. Limn. l.9.c.1. Ad utilitatẽ dico ſ. veram ſ. apparentẽ. Hic enim finis vel maximè comendat Comitia, ut ſentiant ſubditi, vel illi quorum gratia Comitia inſtituuntur; nihil præcipitanter, ſed maturo & deliberato conſilio peragi & adminiſtrari. Inde Reichs Abſchied de anno 1559. §. damit man hinfüro inter alia ita loquitur: Was die Chriſtenheit deß heiligen Reichs gemeinen Nutzen vnd anders betrifft / berathſchlagen / ſchlieſſen / vnd verordnen helffen / alſo daß ohne jhrer allerſeits eingeholte Meinung vnd freywillige Beliebung dißfalls nichts geſchehen noch zugelaſſen werden kan. &c. Id quod vel maximè in R. Germ. Imperio reſpiciendum eſt, utpote ubi libertas in maiori adhuc pretio habetur, quàm apud alias gentes. Unde Carol. V, dicere ſolitus eſt, ſe in aliis ſuis regnis, & ditionibus dominari ſervis & mancipiis, in Germania verò illis ſe imperare, qui liberi & ipſi Reges eſſent. Grundſ. deß heiligen Röm. Reichs. c.1. p.1. c.2.

VI. (2.) De *Diviſione.* Varia poſſet inſtitui Comitiorum diviſio. Sunt enim Comitia vel *vetuſtiora*, vel *recentiora*, vetuſtiora fuerunt vel Romanorum, vel aliorum populorum. De horum Comitiis ratio inſtituti noſtri non admodum eſt ſollicita. Dicamus igitur de Romanis potiſſimum. Dividuntur hæc à Poſſardo in *Curiata* & *Centuriata*, quæ ut ipſe aiebat, *ſi pro Collegio Pontificum haberentur, aut regis ſacrorum, aut Flaminum inaugurandorum cauſa, collata comitia appellabantur.* Tributa Comitia putat

De Mag. Reip. R. p.566.567.

 ſub

ſub Curiatis comprehendi, quia in huiusmodi Comitiis populus ſuffragia viritim ferebat, ſicut in Curiatis illis. Subſcribit illi Blondus l.3. de Roma triumphante. Manemus nos in vulgata diviſione trimembri, in *Curiata, Centuriata,& Tributa*, ſecuti A. Gellium l. 15. cap. 27. Grundfeſte deß heiligen Römiſchen Reichs. part. 1. cap. 1.

VII. Fuerunt Curiata antiquiora Centuriatis. Illis enim uſus eſt Romulus, cum in animum induxiſſet curam Reip. per ſententias Curiarum expediri: vid. Cic. Orat.16. de leg. Agrar contr. Rull.§. 26.27. Poſſard. de Mag.R.R.p. 566. Nomen acceperunt à *Curiis*, quæ teſte Varrone l.2. de Vita P. R. à Cura derivantur, & ita dicebantur, quod *populus per curias diviſus* viritim *ſuffragia ferebat*, *ſ.in quibus populi per curias diviſi ſententia rogabatur*. Cur autem Curia à Cura dicta ſit facilè eſt divinatu, proferamus verbis Poëtæ:

Quam benè conveniens ſortita eſt curia nomen,
A gravibus curis, curia dicta venit.

Obiter addimus, quod ſignificationes Curiarum apud Romanos variæ fuerint, vel enim erant, illæ *triginta partes*, in quas populum Romulus diſtribuit; vel *ſacræ ædes*, quas ſingulæ harum habuerunt, vel *locus in quo Senatus eſt habitus*.

VIII. Perionius deſcribit Curiata, quod fuerint Comitia, in quibus *Magiſtratus & Duces belli creabantur*, atque ita rem quoque militarem continebant. l. 3. de Rom. Græc. Magiſtr. p.367. Ad Curiata Comitia referunt quidam verba Livii l.2.c.52. *Ubi cum pace laxior eſſet populus, annonaque adempta, Comitia habita ſunt agraria lege, in quibus Tribuni plebes agitarent, donec tandem certamina domi finita ſunt.* & Cic.§. 30. inquit: *Si quis legem Curiatam non habet, attingere ei rem militarem non licet.*

Or 16. de leg. Agr. cont. Rull.

IX. Potiſſima Curiatorum Comitiorum Materia erant *Magiſtratus, Reges, & negotia imperii*. Certè Reges Romanorum potiſſimi in his Comitiis creati ſunt. Præter hos etiam, *Quæſtores, Tribuni plebis*, aliique quam plurimi. Accedunt Leges. teſtis eſt Livius. l.2.c.56. *Omnes poſt eiectos Roma Reges, Tribunos ædilesque impetrata permiſſione plebis, legibus creatos fuiſſe, uſque ad legem Valeronis,*

Liv. l. 1. cap. 13.

lēronis, qua obtinente, Centuriata ac tributa ſunt habita, in quibus plebs ſuos eligebat Magiſtratus, quos antea Curiatis creaverat. Religionis quoque habita eſt ratio. Lege enim Voleronis creatio Sacerdotum ſancita eſt, imprimis Flaminum & Curionis Maximi.

X. Enumerabantur autem ſex leges curiatæ. Prima Magiſtratum ante deſignatum confirmatione approbabat. Secunda lata fuit de imperio Magiſtratuum, ut teſtatur Sigon. l. 2. c. 4. de antiq. iur. prov. Imperium hoc autem fuit vel *Civile*, id eſt, auſpiciis & iudiciis, (quod potiſſimum poteſtas appellatum) habitum, vel *militare*, quod, non niſi peculiari lege curiatis Comitiis lata, habebatur. referente Sigonio. l. 1. c. 21. de antiq. Iur. Civ. Rom. Conſiſtebat a. hoc imperium in electione exercituum, coactione militũ, ad militiã & iure gerendi bellum. Tertia lata eſt, cùm Camillus ab exilio revocatus eſſet. Quarta adoptiones fiebant, *nam* ut A. Gellius. l. 5. c. 19. ſcribit, *Comitia arbitris etiam Pontificibus præbentur, quæ Curiata appellantur.* Quinta teſtamentis confirmandis fieri ſolebat. *Iisdem enim Comitiis & ſacrorum deteſtatio,* (ut quæ ſexta lex eſt,) *& teſtamenta* fieri ſolebant. A. Gell. l. 15. c. 27.

XI. Locus Comitiis erat dictus propter Senatum, quo coire Equitibus P. R. licebat ut refert Briſon: l. 2: de formul. p. 238. teſte Limnæo. l. 9. c. 1. I. P. Curiatis verò erat addictum pomœrium, idque in foro, adeoque in comitio. Nam Varro refert: l. 4. de Ling. Lat.; *Comitium inde primum nomen habuiſſe, quod Comitiis Curiatis populus illuc conveniret.* De tempore certo dubitare licet, non enim ſemper certo ac juſto tempore ſunt habita, ſed interdum etiam extra ordinem dilata, ob ignominiam hoſti factam; ita enim inquit Livius. l. 3. c. 5. fin: *Cohortes inde Latinæ Hernicaque ab ſenatu, gratiis ob impigram militiam actis remiſſæ domos. Antiates mille milites, qui ſerum auxilium poſt prælium venerat, propè cum ignominia dimiſſi; comitia inde habita. &c.* Subſcribit huic Joh. Sar. Zamoſcus. l. 2. de Sen.: Rom. p. 131. Si enim res incidiſſet gravior, quæ Senatus deſideraret Cognitionem, comitia ex Senatus conſulto ſæpè dilata: Confirmat id etiam Cic: Or: 13. §. 2: pro leg. Manil. p. 335. inquiens: *Nam cum propter dilationem Comitiorum ter prætor primus Centuriis cunctis renuntiatus ſum, facilè intellexi, Quirites, & quid de me judicaretis; & quid aliis præſcriberetis.* Conſentit hac in parte Perionius

nius.: l. 3. de Rom. Græc : Mag : p. 372. aſſerens *Varium Comitiorum tempus eſſe*, ita ut & de Curiatorum nil certi conſtet; nam ex locis Livii conjecturari licet, anno quarto & quadrageſimo poſt eiectos Reges Conſularia habita fuiſſe, menſe quintili, (ulterius urget Perionius,) nec mutatum fuiſſe tempus, usque ad CCCII. annum poſt urbem conditam. Dies vero refertur accidiſſe anno 413. poſt urbem conditā. Menſem Comitialem Februarium, & Idus Martias ſolennem ineundis magiſtratibus eſſe, teſtis eſt Perionius. l. c. Dies autem habendorum Comitiorum variis in locis annotatur. Florus. l. 3. c. 10. v. 21. inquit: *Ille ſiſtus diebus & Comitialibus, quum frequentiſſimos in lucis haberet, ferocibus dictis ad jus priſtinum libertatis erexit.* His vero diebus non Comitia ipſa ſolum, ſed & leges latæ ac annunciatæ ſunt. Docet id Livius l. 3. c. 11. *Quemadmodum ſe Tribuni geſſiſſent in prohibendo delectu, ſic patres in lege, quæ per omnes dies Comitiales ferebatur, impediendagerebant.*

XII. Poterat etiam Comitiis Curiatis Magiſtratus creari, itemque populus convenire, at Senatus iis haberi non licebat. Confirmat id Eloquentiſſimus ille Cic: l. 2: Ep: 2. ad Q. Fratr: p. m. 581. *In ea re nos & officio erga Lentulum mirificè, & Voluntati Pompeii præclarè ſatisfecimus. Sed per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta eſt, conſecuti ſunt dies Comitiales per quos Senatus haberi non poterat.*

Perion. l. 3. de Rom. Græc. Mag. pag. 378.

XIII. Præparatoria Comitiorum Curiatorum præcipuè in *Indictione* conſiſtebant. Erant autem hominum alii atque alii, quibus id jus competebat, ut diem, ad quem futura eſſent Comitia, ſive edicerent, ſive indicerent; indicebantur vero primò ab aliquo Magiſtratuum, cui id jus erat, quippe quod ante Comitiorum tempus accidebat. Livius l. 3. c. 55. ea per interregem habita affirmat. *Per interregem deinde conſules creati; L. Valerius, & M. Horatius, qui extemplo Magiſtratum occeperunt. &c : & l. 8. c : 3. Juſſisque ante tempus Conſulibus abdicare ſe magiſtratu, quo maturius novi conſules adverſus tantam molem belli crearentur: religio inceſſit ab eis, quorum imminutum imperium eſſet, comitia haberi. itaque interregnum initum.* & l. 6. c. 36. refert. *Ea res Tuſculanis veteribus ſociis novis civibus opem orantibus verecundia maximè, non patres modo, ſed etiam plebem movit. Remittentibus tribunis plebis Comitia per interregem ſunt habita.* Deinceps

inde populus ad ea Comitia, ferendi ſuffragia cauſſa, per lictores convocabatur, quippe qui miniſtrorum in Comitiis Curiatis, nec non convocatorum nomen obtinebant. Populi denique præmiſſis auſpiciis, num eſſet boni ominis in hunc diem Comitia agere, rogatio interceſſit, curia namque primò ad ferendum ſuffragia ſorte vocata, ſi non eſſet boni ominis, comitia in alium diem differebantur: Dyoniſ: l. 2: his verbis confirmat, quod Curia ad Comitia curiata agenda maximè fuerit neceſſaria: inquit enim: *Populus ferebat ſuffragium, non univerſis confuſe, ſed per Curias vocatus: quodque pluribus viſum eſſet Curiis, id ad Patres referebatur.* In comitiis quæ à Magiſtratu, Magiſtratus deſignandi cauſa indicebantur, tali formula ſolenni populus rogabatur: *Quos vultis Conſules fieri?* id atteſtatur eadẽ ratione Cic: Or: 29. pro domo ſua ad Pont. §. 44. 47. eadem formula uſus inquit: *Velitis, jubeatis ut M. Tullius in civitate ne ſit, bonaque eius ut mea ſint; ut ipſi quoque aqua & igni interdicatur.* Or: 37. in L. Piſon. §. 70. dicit: *Velitis jubeatis, ut quid M. Cicero verſum fecerit, ſed quid vindicarit.* Poſſard. de Mag. Reip. Roman. p. 567.

XIV. Leges in Comitiis habendæ trinundino ante proponi oportuit, quam Comitia haberentur; nec tantum lator legis iis adeſſe oportuit, ut qui legem Curiatam arrogationum confirmaret, ſed & Pontifices, qui de omni arrogandi jure cognoſcerent, in quo certum quoddam Iuramentum à Q. Mutio conceptum eſt; quod hi jurare debeant, inter quos fiebat arrogatio. Arrogatus autem rogari ſolebat, ne dux fieret alieno ſe ſubjicere imperio, approbata itaque à Pontificibus reſponſione populus à Magiſtratu rogabatur, uti legem juberent. *Velitis jubeatis.* A Gel. l. 5. c. 19. Indicta vero ſunt Comitia Curiata decemviris creandis, ita enim Liv. variis in locis decemvirorum mentionem facit. Uſitatum & hoc fuit, augures iis ut crearentur, id quod idem Livius. l. 39. c. 45. docet. dum inquit: *Extremò prioris anni Comitia auguris creandi habita.* & tantum de Curiatis Comitiis.

XV. Sequuntur nunc *Centuriata*. quorum derivatio à Centuriis oritur; Centuriæ vero conſtabant ex decem junioribus bellica arte callentibus, totidemque Senioribus ſervandorum mœnium cauſſa electis; ab his nunc centuriis, Comitia Centuriata dicta ſunt. Definienda itaque nobis ſunt hæc Comitia; nos cum Roſ. l.

c. &

c.& aliis non diſſentientibus quoad ſenſum , facimus. *Sunt igitur Centuriata Comitia, quibus populus per Claſſium Centurias diviſus ſuffragium ferebat.* Poſſardus. de Mag. Reip. R. p. 567. paulò aliter quaſi deſcribit, idem tamen quoad ſenſum denotat; *Centuriata Comitia ſunt, cum populus cenſu, ordinibus, ætatibusque deſcriptus adhibebatur in ſuffragium, ac centuriatim, hoc eſt per ſingulas Centurias calculus unus pro ſuffragio habebatur.* Perion. l. 3. p. 367. de Roman. Græc: Mag: ita definit, *Centuriata Comitia ſunt, in quibus Centuriæ Conſules creabant,* cum quo conſentit Liv. l. 1. c. 60.

XVI. Horum inſtitutor conſentientibus aliis atque aliis fuit *S. Tullius,* ſexto ordine Regum imperium aggreſſus, hic *Pop. Rom. retulit in cenſum, digeſſit in claſſes, curiis atque collegiis diſtribuit, omnia denique officiorum diſcrimina in tabulas retulit.* Flor: L. 1. c. 6. v. 3. & Liv. l. 1. c. 42. refert. *Cenſum enim inſtituit, rem ſaluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli pacisque munia non Viritim, ut ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent, tum claſſes, centuriasque, & hunc ordinem ex Cenſu deſcripſit,* &c: Nam omnia bona tam liberorum , quam parentum, adſcriptis ætatis annis, & parentum nominibus, cenſeri imperavit, ſi vero quis ex oblivione cenſum non conſtituiſſet, pœna afficiebatur & corporali, & pecuniaria, ita ut bona eius in fiſcum redigerentur, ipſe vero cæſus virgis ſub haſta veniret.

XVII. Tria autem potiſſimum his Comitiis Centuriatis fuerunt peracta. *Magiſtratus creati, leges latæ, & judicium de perduellibus habitum eſt.* De ſingulis ordine. Magiſtratus alii erant maiores, alii minores: Maiores, quorum auſpicia maiora ; ut ſunt *Conſules,*
Cic. Ep. 11. *Prætores,* atque *Cenſores.* De Conſulibus his comitiis creatis ita do-
l. 9. ad Att. cet Livius. l. 1. c. 60. *Duo Conſules inde Comitiis Centuriatis à Præfecto*
pag. 435. *Urbis ex Commentariis S. Tullii creati ſunt.* de Prætoribus inquit A. Gell. l. 13. c. 15. *Maxima patriciorum auſpicia ſunt , Conſulum , Prætorum, Cenſorum, neque tamen eorum omnium inter ſe eadem, aut eiuſdem poteſtatis ; ideo quod Collegæ non ſunt cenſores Conſulum aut Prætorum ; prætores Conſulum ſunt.* &c : Jam autem Conſules centuriatis ſunt creati, E. & Prætores, ut Collegæ eorum : Si enim Conſules aberāt, Prætor Urbanus conſulare munus ſuſtinuit. Confirmat id Cic: Or. 56. Philipp : 14. §. 37. *C. Panſa. A. Hirtius Coſſ. imperatores, alter, ambove aut ſi abierint , M. Cornutus prætor Urbanus, ſupplicationes per*

dies

dies 50, ad omnia pulvinaria conſtituat. De Cenſoribus vid. Liv. l.6. c.27. A. Gell. l.c. De Proconſulibus ac Regibus ſacrorum his Comitiis creatis, videre eſt Liv. l.26. c.18. *Quum alii alium nominarent, poſtremum eo decurſum eſt, ut populus proconſuli creando in Hiſpaniam Comitia haberet.*

XVIII. In numerum maiorum Magiſtratuum etiam referuntur *Tribuni milites* & *Decemviri* legibus ſcribendis Liv. l.3. c.39. & Cic. Or. 16. de leg. Agr. contra Rull. §. 26. inquit: *Cognoſcite nunc quæ poteſtas decemviris, & quanta detur &c*: Claris & apertis hoc verbis teſtatur Perion. l.3. p.367. de Rom. Græc. Mag. *Centuriata Comitia ſunt, in quibus Conſules Tribunique militares creabantur.* per tribunos autem h. l. intelligit eos, qui conſulari poteſtate præditi erāt. Sicut autem in Curiatis Comitiis leges latæ Curiatæ ſunt dictæ, ita & Centuriatæ leges appellantur eæ, quæ Centuriatis Comitiis rogatæ ſunt. Rogabantur autem eæ à Magiſtratibus maioribus autoritate Senatus. Quales olim ab Sacratiſſimo Imperatore Iuſtiniano, mediantibus Iureconſultis, ſunt datæ, ut lex Aquilia, lex Falcidia, lex Fuſia Caninia. Similis legum latio reperitur ap. Livium. L.3. c.55. *Omnium primum quum veluti in controverſo jure eſſet, tenerenturne patres plebiſcitis: legem Centuriatis Comitiis tulere.* Circa rogationem legis autem hic mos fuit obſervatus. Magiſtratus, cui ius ferendi leges competebat, domi eam præmeditabatur, comunicabatque Eruditis, ne quid contra populi dicta aut facta, aut voluntatem, promulgaretur, ne quoque Contraria ſancirentur, aut varia eiusdem generis una rogatione ferrentur, atque hac ratione quicquam rogaretur, quod ius non eſſet rogandi. Nuncupata autem lege, legem daturus ad Senatum eam referre coactus, ut eò maiorem autoritatem ac valorem acquireret, cum populo proponeretur, tribus nundinis præterlapſis. Tertium iis peragendum negotium fuit Exercitium Iudiciorum, non autem omnium, ſed tantum eorum, quæ perduellionis cauſſa inſtituta ſunt. Confirmat id Vetuſtiſſimus ille ICtus Caius. l.234. ff. de V. S. inquiens: *quos nos hoſtes appellamus, eos veteres perduelles appellabant*, &c. Perduellis autem dicitur ille, qui quo quomodo infenſus Reip. eam damno afficit: per l. 11. ff. de leg. ul. Maieſt: Malum hoc autem ne tranſeat, pœna fuit indicenda; quippe quæ conſenſu Senatus populique Comitiis Cen-

B turiatis

turiatis lata eſt. Cic. l. 3. de LL. §. 36. *Vno in genere relinqui videbatur vocis ſuffragium, quod ipſe Caſſius exceperat perduellionis.* &c. & l. 4. ad Herenn. §. 7. *Nam qui perduellionibus vendidit patriam, non ſatis ſupplicii dederit, ſi praeceps in Neptunias depulſus erit lacunas.* Val. Maxim. l. 6. cap. 5. §. 3.

XIX. Erat & hoc in uſu, ut Comitia Centuriata in loco inaugurato & quidem extra Pomœrium haberentur. Subſcribit huic ſententiæ Livius. l. 3. c. 20. *Igitur Tribuni ut impediendæ rei nulla ſpes erat, de proferendo exercitu agere, eò magis quod & augures iuſſos adeſſe ad Regillum lacum fama exierat: locumque inaugurari, ubi auſpicatò cum populo agi poſſet, ita ut quicquid Romæ vi tribunitia rogatum eſſet, id Comitiis ibi abrogaretur.* &c. & A. Gell. l. 15. c. 27. *Centuriata Comitia inter pomœrium fieri fas eſſe, quia exercitũ extra urbem imperari oporteat, intra urbem imperari ius non ſit: propterea Centuriata in campo Martio haberi, exercitumque imperari præſidii cauſa ſolitum, quoniam populus eſſet in ſuffragiis ferendis occupatus.* Campus autem Martius ad hæc erat deſtinatus, ut in hunc populus ſuffragium ferret. de quibus Cic. l. 1. Ep. 15. ad Attic. *Is ad plebem P. Clodium traducit, idemque refert, ut univerſus populus in campo Martio ſuffragium de re Clodii ferat.* Nomen à Marte Deo belli accepiſſe tradunt, aliis Tiberini nomen placet, quod extra urbem propè fluvium Tiberim ſitus fuerit. A. Gell. l. 6. c. 7. eumque à Virgine Veſtali Pop. R. dono datum fuiſſe. Citabatur in eum populus centuriatim ad ferenda ſuffragia; Liv. l. 6. c. 20. itemque reos diiudicandi & abſolvendi gratia. S. Tullius quoque ut auctor Centuriatorum Comitiorum, & Cenſuum, primum Cenſum inſtituens, in campo Martio peregit; ut Livius l. 4. c. 23. teſtatur. *Eo anno C. Furius Pacilus, & M. Geganius Macerinus cenſores villam publicam in Campo Martio probaverunt: ibique primum Cenſus populi eſt actus.* &c. Hic campus conſecratus magni à Gentilibus æſtimabatur. Omnia n. Ludicrorum tùm ſeniorum cùm iuvenum genera illic exercebantur, ita ut pro ſingulari, atque quaſi ad ea exercitia deſtinato loco habitus ſit. Plin. 36. c. 10. ibi inſigne artificium horologii reperiri docet. Simili ratione, ut in Curiatis, de tempore nil certi conſtat. Horæ verò, quibus agi cum populo poſſet, omnes erant intra ortum ſolis & occaſum, reliquis non licebat.

Liv. l. 2. c. 5. Liv. l. 45. cap. 43. Flor. l. 1. cap. 6.

XX. Indictio,ſeu convocatio populi, in Curiatis per lictorem fiebat, in Centuriatis autem per Cornicinem indicebantur Comitia,(uti nos informat Poſſard. de Mag. Reip. R. pag. 566.) ut juſta haberentur,quapropter& magna & iuſta dicta ſunt: Poſſard. pag. 568. Idem refert Cicer.Orat.28. poſt redit in ſen.§.26. *Quid denique illo die, quem P.Lentulus mihi fratrique meo,liberisque noſtris,natalem conſtituit,non modo ad noſtram, verum etiam ad ſempiterni memoriam temporis? quo die nos Comitiis Centuriatis, quæ maximè maiores iuſta dici haberique voluerunt, arceſſivit in patriam* &c. Indicta ſunt hæc Comitia autoritate Senatus.(omnes enim leges Centuriatis latæ,aut ex SenatusConſulto, aut patribus autoribus ferebantur,licet aliquantulum differentiæ adhuc inter eos extiterit, ut hâc ratione eæ quæ ex Senatusconſulto ferebantur,conſenſu&voluntate ſecunda univerſi ſenatus latæ ſint, quæ vero patribus autoribus, eæ nonnunquam adverſa Senatus voluntate ferebantur.) ac initio, poſt habita Comitia, approbatio ad ea quæ populus ſuffragiis ſuis in lucem ediderat,à Patribus conſcriptis exigebatur, ut confirmatio ſuffragiorum intercederet. Plerumque autem Patres hæc Comitia Senatusconſultò iubebant.ut Livius. l.42.cap.30. refert. *Patres quod felix fauſtumque ſit populo Romano,Centuriatis Comitiis primo quoque die ferre ad populum Conſules iuſſerunt.* &c. & ulteriùs. c.31. *Hac rogatio ad populum lata eſt, Senatusconſultum inde factum eſt:* Nam niſi patres autores eſſent facti, haud legitimè Comitia haberi poterant,ſed vel intermittebantur,vel differebantur. Cic. Orat. 31. pro Planc.§.8.inquit: *Nam ſi ita eſſet, quòd patres apud maiores noſtros tenere,non potuerunt: ut reprehenſores eſſent Comitiorum, id haberent iudices; quod multo minus etiam eſt ferendum. Tum enim Magiſtratum non gerebat is qui cœperat, ſi patres autores non eſſent facti.* &c.

XXI. Factis nunc Patribus autoribus edictum præmitti neceſſe erat, ut quo die populus convocaretur, præſciretur. Docet id A. Gell. l.13.c.15. *In edicto conſulum, quo edicunt qui dies Comitiis Centuriatis futurus ſit, ſcribitur: ex veteri forma perpetua,ne quis Magiſtratus minor de cœlo ſervaſſe velit.* Sancitum verò fuit ut edictum hoc per plures dies tabulæ affixum ſervaretur, quia homines agrum colentes iis intereſſe neceſſum erat, at ante initium nonî dies

urbem haud viſitarent. Inter regnum his Comitiis ſimili modo eſt habitum; at hoc imperium in quinquennium tantum duravit, ut teſtis eſt Tac.l.2.Annal. cap.36. *Et certamen Gallo adverſus Cæſarem exortum eſt. Nam cenſuit in quinquennium Magiſtratuum Comitia habenda*.&c. alii quinque dierum, quibus præterlapſis ſucceſſor interregis alius ſcilicet interrex deſignatus fuit. De prodigiis his maximè obſervatis docet Livius. l.22.c.1.

Liv.l 6.36. Liv.22.34.

XXII. Ante legum Comitia concio à legislatore habenda erat, qua & utilitatem & neceſſitatem legis ferendæ declarabat, ut populus eam approbaret, quæ ſibi maximè arrideret. Confirmat hoc Dionyſ. l.10.inquiens: *Tribuni plebis advocata concione pollicebantur, plebi ſe legem laturos de rebus quas poſtulabat. Collaudata nunc à plebe hac oratione, ſublata omni mora, legem quam habebant, recitabant.* &c. Lex autem quæ populo proponi debebat, tribus nundinarum diebus referri ſolita fuit, ita ut quisque eam recuſare poſſet, quam improbaret. Eiuſmodi exemplum refert Livius. l.3.c.12. Ubi de bello Æquorum & Fabiorum refertur; quod ubi fœdera pacta inire Æqui recuſarent, duo conſulares exercitus acie inſtructa ad hoſtem acceſſere, ut confeſtim dimicarent. Verum hanc legem Romanorum improbabant Æqui, ita ut unus ex ſtatione proclamaret, *Oſtentare hoc eſt Romani, non gerere bellum*, &c. qua de cauſa in poſterum diem miles in caſtra reducitur; atque adeò in tertium annum bellum extractum. Cic. quoque de diſſuaſione legis nonnulla profert. Orat. 28. poſt red. in ſen.§.10. *Quo inſpectante ac ſedente legem Tribunus plebis tulit, ne auſpiciis obtemperaretur, ne obnuntiare concilio aut Comitiis: ne legi intercedere liceret*. &c. His verò hoc indicat, quod Rogator legis populo renunciarit, ne legem acciperet, atque adeò populo gratias egiſſe viſum eſt, quod præſentia ſua, diem Comitiorum, ferendæ legis cauſa, condecorare voluerit. Simili ratione in Iudiciorum Comitiis obſervatum, & hæc ante Comitia.

XXIII. Ipſis legum Comitiis obſervari ſolebat, ut auſpicia celebrarentur; nulla enim Comitia Centuriata, jure fieri poterant, niſi prius habitis auſpiciis. Præcipuè vero *Obſervatio de cœlo*, quod ſi quis hanc è Magiſtratibus maioribus (Minoribus enim non competebat. ut A. Gell. l.13.c.15. refert.) obnuntiaſſet, Comitia differeban-

bantur. Adhibitis igitur auſpiciis, ille, qui Comitia peracturus erat, præſente augure auſpicabatur, qui ſi adverſa nuntiaſſet, Comitia non habebantur. Cic. l. 2. de LL. §. 31. hoc ius deprædicat; inquiens: *Maximum & præſtantiſſimum in Rep. jus eſt augurum, cùm eſt autoritati coniunctum. Quid enim maius eſt, quam poſſe à ſummis imperiis, & ſummis poteſtatibus Comitia tollere? concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? quid gravius, quam rem ſuſceptam dirimi, ſi unus augur aliter dixerit? quid magnificentius, quam poſſe decernere, ut Magiſtratu ſe abdicent Conſules? quid religioſius, quam cum populo, cum plebe agendi jus dare, aut non dare? quid legem, ſi non jure rogata eſt, tol, lere? ut etiam decreto collegii Conſules & augures nil domi, nihil foris, per Magiſtratus geſtum, ſine eorum auctoritate poſſe cuiquam probari?.* Quapropter poſterioribus ſæculis non tantoperè Deos conſulere, quam divinari bona futura auſpicia, augures jubebant; atque adeò vox haruſpicis plus valoris continebat, quam ipſa ſacra; id quod Cic. l. 2. de divinat: §. 28. refert; ubi confutatio haruſpicinæ inſtituitur, ac potius ad Voces haruſpicis plebem remitti aſſeritur: Cuius verba in medium proferre lectori moleſtum fore putavimus, quare ad locum citatum eum remittimus. Candidati etiam proximum gradum ad officium Magiſtratus obtinentes, eadem ratione per augures auſpicabantur: docet hoc Dyoniſ. Halicarnaſſ. l. 2. *Qui Magiſtratus accepturi ſunt prima luce, loco apto expoſiti Diis ſupplicant, tum ex Auguribus publicis, qui adſunt, nonnulli illis fulgur ſiniſtrum, quod omnino non factum ſit, annunciant. Illi augurium ex voce accipientes abeunt, magiſtratum accepturi: alii quidem ſatis eſſe exiſtimantes, nulla ſibi adverſa auſpicia fuiſſe, alii vero etiam repugnantibus Diis.* quibus deinceps auſpicatis ſacris in omnibus actionibus publicis uti ſolebant. Peractis itaque ſacris ac cultu Deorũ, quod non omnino Ethnicis diſſimile viſum, Magiſtratus, cui jus competebat, in locum ſacrum ingreſſus, cui cives armata militia ſubſecuti, quidam præſidii cauſſa in campum conveniebant ut A. Gell. l. 15. 27. refert: *Propterea Centuriata in Campo Martii haberi, exercitumque imperari præſidii cauſſa ſolitum, quoniam populus in ſuffragiis ferendis eſſet occupatus.* quidam in Ianiculum, (cuius portæ tempore pacis apertæ, tempore autem belli clauſæ traduntur,) introducebantur,, ibi permanen-

 res do-

tes, donec Comitia peracta, ne forſan hoſtes ipſis ſacris urbem invaderent, Janiculumque, ut ſummum eorum templum, occuparent.

Poſſard. de Mag. Reip. Rom. pag. 567.

XXIV. His præmiſſis modus ipſe nunc inſequitur, quo uti ſolebant in Comitiis Centuriatis. Convocabatur populus, (ut pote cui demandatum erat ius ſuffragii,) per cornicinem, in Campum Martium ut veniret, ibique, quod rogaretur, jubere & approbare, vel vetare & denegare velit. De Candidatis præſertim, quibus maxima dignitatis magiſtralis ſpes erat, Magiſtratus maior populum ſermone conveniebat, in horum electione ut conſentire velit: nam populus nequaquam neceſſitate quadam, ſuffragia iubere poterat, ſed neceſſitate privilegiorum, (ſiquidem erat Democratia in qua poteſtas penes populum erat, ita ut mediantibus ſolum conſulibus, vel magiſtratibus maioribus, ius imperandi obtineret,) ipſi liberè relinquebantur; ita nempè facultas eligendi in populo ſita fuit, ut unumquemque è civibus eligere potùerit, obſervata tamen ratione legis. In Comitiis legum antequam ferrentur ſuffragia, lex à Præcone recitabatur, populusq; rogabatur, an acciperet, nec ne? Lex recepta ſuffragiis iubebatur, ac rurſus relegabatur, ne populo diſpliceret. Receptionis autem vel Recuſationis formula antiqua hæc eſt, *velitis iubeatis*. A. Gell. l. 5. c. 19. vel ſi lex diſpliceret: *Veto.* De quibus vid. Briſſon. de Formul. ſoll. antiquiſſ. Cic. Orat. 29. pro domo ad Pontif. §. 44. 47. & Or. 37. in L. Piſon. §. 70.

l. 2. p. 143. 144. 145. 305.

XXV Certa de cauſa, non verò fruſtra, convocatus fuit populus, ſcilicet ferendorum ſuffragiorum gratia. De ſuffragiis refert etiam Cicer. l. 3. de LL. §. 33. *Proximum autem eſt de ſuffragiis, quæ iubeo nota eſſe optimatibus, populo libera.* Lata ſunt autem hæc à Centuriis ordine, quoniam verò non ſemper & omnibus temporibus auſpicia bona annunciaſſent, ideoque nec ſemper ſuffragia ferenda fuerunt; ſi n. prima centuriæ claſſis non conſenſiſſet, ad alteram progrediendum fuit, & ſic deinceps, uſque ad quartam, quod rarò fiebat, nunquam ſextam & quintam attigit ordo. Prima igitur Centuriarum egreſſa, primariò ſententiam ferebat, qua de cauſa ei nomen *Prærogativa* attributum, reliquæ *Iure vocatæ* appellatæ ſunt. Prærogativarum mentionem facit Livius l. 26. c. 22. dum inquit: *Conſules quum ambo Apuliam provinciam haberent, minuſque iam terroris à Pœnis & Annibale eſſet, ſortiri iuſſi Apuliam Macedoniamque*

que provincias: Sulpicio Macedonia evenit, isque Levino ſucceßit. Fulvius Romam Comitiorum cauſſa accerſitus, quum Comitia Conſulibus rogandis haberet, prærogativa Centuria juniorum declaravit T. Manlium Torquatum, & T. Otacilium &c. l. 24. c. 9. *Prærogativa juniorum in ſuffragium revocata*, &c. Iuniores vero Seniores ut conſulerent, fas erat, id quod affirmat Florus. l. 2. c. 6. v. 26. *Quid autem in deligendis Magiſtratibus, quæ Centuriarum ſapientia, quum iuniores à ſenioribus conſilium petivere de creandis conſulibus? quippe adverſus hoſtem totiens victorem, tam callidum, non virtute tantum, ſed ſuis etiam conſiliis pugnare oportebat.* vide etiam Annotata Viri Excellentiſſimi p.m. *Ioh. Freinshemii* ad Flor. l. 2. c. 6. v. 26. lit. h. Idem hoc & in Tribubus obſervatum. Flor. l. 1. c. 5. v. 2. *Tarquinius Priſcus Senatus Maieſtatem numero amplia vit, & centuriis tribus auxit.* &c. In Comitiis Magiſtratuum ſuffragia tabellis inſcribebantur, in quam verò partem numerus maior extitiſſet, eius ſententia pro firma rataque habebatur, ac à præcone nunciabâtur. In legum Comitiis verò nec non iudiciorum, verbis ſolennibus uſi fuerunt, pro affirmativa ſententia his utebantur: *uti rogas*, i.e. ut rogator fieri velit, pro negativa vel recuſativa verò *Antiquo.* hoc litera A. illud U.R. declarabatur. Populus deinde *Ovile* ingreſſus per pontes anguſtas tabellam legibus circumſcriptam quam approbaſſet ciſtæ iniiciebat, alii urna uſos fuiſſe Romanos docent, in quam nomina coniicerent; cùm enim ſuaſerant diſſuaſerantve legem, tùm præſentibus ſacerdotibus divina exponentibus, ſitella vel urna deferebatur, in quam, ſi centuriatis Comitiis lex ferretur, centuriarum nomina coniiciebantur. Atque ita latis nunc ſuffragiis populus rurſus ex *Ovili* diſceſſit, & lex promulgata fuit. In Magiſtratuum maiorum Comitiis verò ut conſulum & prætorum, ſi quicquam de cœlo accidiſſet, Comitia dirimebantur, & in poſterum diem differebantur. In Cenſorum autem Comitiis alius mos erat, ita ut ſi creato Cenſore tempeſtas Comitia vitiaret, Cenſor creatus etiam vitioſus haberetur.

XXVI. Tandem Magiſtratus lege, vel accepta vel repudiata, renunciata, populum dimittebat. Ante dimiſſionem autem religionem probè obſervarunt, ita ut Magiſtratus, populum dimittens, eos Magiſtratus renunciaret, quos populus creaſſet, ad-

iecta

iecta ſolenni precatione omnis felicitatis atque proſperitatis. Cicer. in Orationibus elegantem refert locum, cùm quidem cauſam Murænæ agat, attamen precibus pro incolumitate Reipublicæ ſe obligat. Or. 23. pro L. Muræna. §. 1. his verbis: *Quæ precatus ſum à Diis immortalibus iudices, more inſtitutoque maiorum, illo die, quo auſpicatò L. Murenam Comitiis Centuriatis Conſulem renunciavi: Vt ea res mihi Magiſtratuique meo, populo, plebique Romanæ, benè atque feliciter eveniret: eadem precor ab iisdem Diis immortalibus ob eiusdem hominis conſulatum, unà cum ſalute obtinendum, & ut veſtræ mentes atque ſententiæ, cum populi Romani voluntate, ſuffragiisque conſentiant, eaque res vobis, populoque Romano, pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat.* Hactenus ille. & tantum de Comitiis Centuriatis.

XXVII. Progredimur iam ad tertium Comitiorum genus, ſci. ad *Tributa Comitia*, quanquam nonnulli Curiata cum Tributis confundant, nequaquam tamen eorum ſententia eſt approbanda, ſiquidem ea ex ipſo Cic. loco refutari poteſt. Or. 16. de leg. agr. contr. Rull. §. 26. *Atque hic perſpicuum eſt, quid iuris à maioribus acceperitis, quid ab hoc Tribuno plebis vobis relinquatur. Maiores de omnibus Magiſtratibus bis vos ſententiam ferre voluerunt: nam Centuriata lex Cenſoribus ferebatur, cùm Curiata cæteris patriciis Magiſtratibus: tùm iterum de eiſdem iudicabatur, ut eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum beneficii ſui pœniteret. Nunc quia prima illa Comitia tenetis, Centuriata & Tributa: Curiata tantum auſpiciorum cauſa remanſerunt. Hic autem Tribunus plebis, quia videbat, poteſtatem neminem iniuſſu populi, aut plebis poſſe habere, Curiatis ea Comitiis, quæ vos non ſinitis, confirmavit. Tributa, quæ veſtra erant, ſuſtulit.* &c. quare & nos à maiorum ſtamus partibus, freti hoc teſtimonio Ciceronis, quia Curiata confirmata, Tributa autem ſublata ſunt.

XXVIII. Quoniam nunc de re ipſa certi ſumus, ideoque ordinaria methodo, quæ & in prioribus obſervata, pergimus. Derivamus autem Tributa Comitia à Tribubus, ſiquidem naturalis ratio & literæ Grammaticæ hoc tradant, quare nec his diu inhæſuri ſumus: Tribus autem aut à Tributo dandò, aut quia tres primo loco fuerunt à Romulo inſtitutæ, dicta, unde etiam Tribuni dicti. Conſentit hac in parte Liv. l. 1. c. 43. *Tribus eas appellavit: ut ego arbitror, ab Tributo: nam eius quoque æqualiter ex cenſu conferendi ab eodem*

dem initæ ratio eſt. Sunt ergo Comitia Tributa, in quibus per Tribus ſuffragium populus ferebat. A. Gell. lib. 15. c. 27. h. m. definit: *Tributa Comitia ſunt, cùm ex regionibus & locis ſuffragium fertur.* Livius quaſi deſcribit. l. 2. cap. 56. *Voleronem amplexa favore plebs, proximis Comitiis Tribunum plebis creat in eum annum, qui L. Pinarium, P. Furium, Conſules habuit* &c. & ulterius, *rogationem tulit ad populum, ut plebeii magiſtratus tributis Comitiis fierent.* Variam autem Tribuum ſignificationem quoque indagemus, ut eò clarior res eveniat. Sumitur enim *Tribus*, vel pro *hominibus*, utpote quod certam quandam civium Romanorum partem denotat. Vel pro *loco*; pro parte urbis Romæ, vel pro *jure*, h. e. pro iure civitatis vel urbis: Hinc definitio Tribus oritur. *Fuerunt Tribus populi Romani partes diſtinctæ locis in Urbe diverſis, & regionibus undique circum urbem per Italiam diſperſis.* Tres autem initio ſub Romulo Tribus fuiſſe teſtatur. Varro l. 4. de Ling. Latin. *Ager Romanus primum diviſus in partes tres; à quo Tribus appellata, Tatienſium, Ramnenſium, Lucerum, nominatæ*; Idem l. c. *Tribuni militum inde dicti, quod terni tribus tribubus Ramnenſium, Lucerum Titienſium, olim ad exercitum mittebantur.* De hiſce tribus tribubus eleganter poëta Propert. l. 4. Eleg. 1.

Prima galeritus poſuit Prætoria Lygmon;
Magnaque pars rerum Tatio erat inter oves.
Hinc Tities Ramnesque Viri, Luceresque Coloni,
Quatuor hinc albos Romulus egit equos.

Et Ovidius tres primas iisdem nominibus refert. l. 3. Faſt. v. 130.

Quin etiam partes totidem Tatienſibus ille,
Quosque vocant Ramnes, Luceribusque dedit.

Omnes autem hæc Tribus à Romulo inſtitutæ, usque ad Tarquinium Priſcum durarunt, hoc enim interfecto aliam tribuum diviſionem S. Tullium inſtituiſſe docet Dyoniſ. l. 4. inquiens: *Cæterum Tullius poſtquam ſeptem colles uno muro complexus urbem in quatuor partes diviſit, à Collibus cognominatas, Palatinam, Suburanam, Collinam, Esquilinam, & quatuor Tribus eſſe fecit, quæ ad id temporis tres fuerant, ſuosque cuique Tribules adſcripſit, diviſa habituros omnia, nec mutaturos domicilium: ita ut in quaque ſeorſim delectus militum, & Collationes Tributorum fierent, nec jam iuxta illas generales Tribus, ut antea, ſed iuxta*

 has

has quatnor, per locos à ſe digeſtos, vel locales ordinabat militiam &c. Aliter Liv. l. 6. c. 5. Vell. Paterc. l. 2. c. 20. ſed eorum intentio quoad finem tandem conſentit. Diviſæ fuerunt deinceps hæ Tribus in Urbanas & ruſticas, ſiquidem poſterioribus temporibus ruſticæ urbanis præferebantur. Varro. lib. 2. de re ruſt. Plin. l. 18. cap. 3. de re ruſt. Liv. l. 9. c. 46.

XXIX. Minores Magiſtratus his Comitiis creatis dividebantur in ordinarios & extra ordinarios. Ordinarii ordinariè ad munus obeundum à populo creabantur. quales fuerunt. *Tribuni plebis, ædiles plebis.* &c. de illis Liv. l. 2. c. 56. teſtimonium perhibet. & l. 2. c. 58. *Tum primum Tributis Comitiis creati tribuni ſunt.* de his teſtis eſt A. Gell. l. 6. c. 9. *Quod res videbatur memoratu digna, quam feciſſe Cn. Flavium Anni filium ædilem Curulem, L. Piſo. in 3. Annali ſcripſit. Cn. Flavius patre libertino natus ſcriptum faciebat: isque in eo tempore ædili Curuli apparebat, quo tempore ædiles ſubrogantur: eumque pro tribu ædilem Curulem renunciaverunt. at ædilis, qui comitia habebat negat accipere, neque ſibi placere, qui ſcriptum faceret, eum ædilem fieri.* &c. Extraordinarii fuerunt præfecti annonæ, duumviri navales, quæſtores, quæſitores particidii &c. de quibus omnibus Comitiis Tributis creatis Gell. l. 13. c. 15. Habita quoque eſt his Comitiis, Creatio ſacerdotum, legum rogatio, & exercitium Iudicii. Quamprimum autem Tribuni præfecti eſſent his Comitiis, confeſtim ædiles ſibi quaſi adminiſtros crearunt. ut Dyoniſ. l. 6. ſcribit; quibus ſuccedebant Conſules, eadem poteſtate Comitia habendi gaudentes. De creatione ſacerdotum inquit Livius. l. 25. c. 5. *Comitia inde Pontifici maximo creando ſunt habita. Et Comitia novus Pontifex M. Cornel. Cethegus habuit.* In rogatione legum ſuffragia lata ſunt, & ab urbanis & ruſticis hominibus. A. Gell. l. 15. c. 27. ex definitione Tributorum Comitiorum id aſſirmat. licet vero populi, extra urbem degentes, non ſemper ius ſuffragii habuerint, attamen id variis modis acquirere ac pretio emere, illis non erat denegatum. Teſtatur hoc Livius. l. 41. c. 8. *Comitia deinde habita Conſules creati.* &c. *& Lex, ſociis ac nominis latini, qui ſtirpem ex ſeſe domi relinquerunt, dabat, ut cives Romani fierent. Ea lege male utendo, alii ſociis, alii pop. Rom. injuriam faciebant. Nam & ne ſtirpem domi relinquerent, liberos ſuos, quibus Romanis in conditionem ut manumitterentur mancipia dabant, libertinique ci-*

que ci-

que cives eſſent ; & quibus ſtirps deeſſet quam relinquerent, ut cives Romani fierent, poſtea in civitatem Romanam per migrationem & Cenſum tranſibant.

XXX. Horum verò Comitiorum non ut anteriorum certus & deſtinatus locus referri poteſt, ſiquidem pro ratione temporis, aliquando in Campo Martio, nonnunquam in Capitolio aut Circo Flamineo habita ſunt. Cic. l. 1. Epiſt. 1. ad Attic. *In Campo Comitiis Tribunitiis* &c. In Comitio legum rogatio facta eſt, ut Cic. Orat. 39. pro Rabir. Poſthum. §. 18. inquit: *Hoc vos Equites Romani a patribus acceptum ius amittetis? moneo ne faciatis, rapientur homines in hæc iudicia, ex omni non modo invidia, ſed ſermone malevolorum, niſi cavetis. Si iam vobis denuntiaretur, in ſenatu ſententias dici, ut his legibus teneremini: concurrendum ad Curiam putaretis. ſi lex ferretur, convolaretis ad roſtra. Vos ſenatus liberos hac lege eſſe voluit.* &c. Curiam verò & Roſtra in Comitio fuiſſe notum, ideoque & rogatio legis ibi habita. Diebus & Comitialibus & feſtis Comitia haberi, legemque ferri moris fuit; niſi ſe occaſio extraordinaria obtulerit. Confirmat hoc Cic. Orat. 32. pro Sext. §. 33. Iiſdem *Conſulibus ſedentibus atque inſpectantibus lata lex eſt, ne auſpicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet: ut omnibus feſtis diebus legem ferri liceret.* &c.

XXXI. Modus Tributorum Comitiorum ſimili ratione in Indictione conſiſtebat, indicebantur enim ea ab aliquo Magiſtratuum mediante Præcone trinundino antequam haberentur, quem ſubſequebantur Diribitores, qui tabellas populo miniſtrarent, id quod & in Legibus obſervatum fuit. Religio autem his non ita ſolicitè obſervabatur, id quod teſtari non repudiat Dionyſ. l. 7. cum inquit: *Curiatis Comitiis de re quapiam tractata prius in ſenatu ſuffragia curiatim colligebantur, idque auſpicatò: alias niſi aves addicerent, Comitia habebantur pro irritis, Tributa verò inconſulto ſenatu nullis auſpicibus adhibitis una die peragebantur à Tribulibus.* Sigon. l. 1. de antiq. Jure Civ. Rom. cap. 7. ſic ſcribit. *Cùm plebeii carere auſpiciis dicuntur, avium volantium aut canentium obſervatione in Comitiis, tripudio in rebus gerendis carere dicuntur* &c. convocato nunc populo, atque in ſuas quisque Tribus diſceſſo, iacta ſors diverſi generis, quæque nunc Tribus prius exierat, ea prior ordine ſuffragium ferebat, quare & Prærogativa, ut in anterioribus, ap-

 pel-

pellata eſt; atque in Comitiis Magiſtratuum obſervatur. In legum Comitiis verò hic mos notandus venit, quod leges æneis tabulis per fora & templa fixis geſta fuerint. Reus in Comitiis iudiciorum pro more habitu ſordido, Magiſtratu in roſtris ſedente, in forum deducebatur, & ſi licitum ipſi eſſet ſe defendere in roſtra aſcendens ſuam pro viribus perſonam defendebat, nulla autem cauſa ipſum excuſaverat, ſi non præſens adeſſet, *niſi morbus, exilium voluntarium, & funeris familiaris procuratio*; donec tandem ſuffragiis à populo (qui tamen non ſummum ius cum Magiſtratu habebat,) latis finis iudicio fuerit impoſitus. Sublata ſunt demum hæc Comitia, id quod docet. Ioh. Sar. Zamoſcius. l. 1. de Senatu Rom. pag. 15. inquiens: *Nam cum Collega & Comitia Tributa ſuſtulit* &c. Et idem l. 2. de Senatu Rom. pag. 172. *Exinde Comitiis Tributis inſtitutis, legeque ut omnes Quirites plebiſcitis tenerentur perlata, ſummam licentiam Tribunorum plebis nacta Temeritas.* &c. Fuerunt alia adhuc Comitia ſcilicet *Conſularia* & *Quæſtoria*, quæ quidem non ad tria Comitiorum genera pertinent. De Conſularibus inquit Florus. l. 3. cap. 16. v. 3. *Igitur poſt Metelli fugam omni nobilitate perculſa, quum iam tertium annum dominaretur, eò Veſania progreſſus eſt, ut Conſularia quoque Comitia nova cade turbaret.* Habita ſunt autem hæc adverſa nobilitate id quod affirmat Livius. l. 2. cap. 64. *Irata plebs conſularibus Comitiis intereſſe noluit.* &c. & l. 37. cap. 47. *Inde conſularia Comitia magna contentione habita, L. Æmilius Lepidus petebat adverſa hominum fama* &c. & l. 10. cap. 9. eorundem mentionem facit. C. Corn. Tac. l. 1. Ann. cap. 81. dum inquit: *De Comitiis Conſularibus, quæ tùm primum illo principe ac deinceps fuere, vix quicquam affirmare auſim, adeò non modo diverſa ap. Autores, ſed in ipſius Orationibus reperiuntur.* De Quæſtorum Comitiis refert Livius. l. 4. cap. 44. *Hoc Tribuno Quæſtorum Comitia habente.* &c. & l. 4. cap. 54. *Non alias ægrius plebs tulit tribunitia ſibi Comitia non commiſſa, eum dolorem quæſtoriis Comitiis ſimul oſtendit, & ulta eſt.*

Et tantum de Comitiis Veterum.

XXXII. Satis diu inhæſimus Comitiis Veterum diſcutiendis. Æquitas igitur poſtulat, ut pedem etiam ad recentiora tandem proferamus. *Recentiora autem vocamus ea, quæ conſtituto jam Romano Germanico Imperio celebrata ſunt, vel hodiè adhuc celebrari ſolent.* Vulgaris quæ inſtitui ſolet diviſio eſt: ut alia ſint *univerſalia* alia *particularia*: Illa vocantur, cùm omnes imperii ordines conveniunt; hæc vero quando aliquot tantum. Arum: c.2. §.2. de Comitiis. Alia *ampliora*, alia *contractiora*, ſic dicta à pluribus vel paucioribus perſonis, à quibus celebrantur; Huc pertinent quæ *poſt Comitia* vocabantur, ſubſtituta in locum annuorum Conventuum. Horum notamus (1.) *nomen.* vocabantur *Regimenta, poſt.Comitia.* (2.) *Cauſam impulſivam.* Ante hæc Comitia celebrabantur inter ordines Imperii annui conventus; qui, quia perpetuos requirebant ſumptus, perpetuas etiam moleſtias & difficultates crearent, viſum eſt; Regimenta ſubſtituere, ut iſta incommoda tollerentur digna ſunt quæ huc adſcribantur verba ordinationis Regimenti, de anno 1500. §. Von den Zwanzigen p. 36. haben wir ermeſſen v. betracht / daß die Stände deß Reichs langſam vnd beſchwerlich / auch mit mercklicher Mühe / Arbeit / Koſten / vnd darlegen / zuſammen gefordert werden vnd kommen mögen: vnd dann zu Zeiten merckliche Sachen der Chriſtenheit / vnd dem Reich zufallen / denen der Verzug faſt nachtheilig vnd ſchädlich iſt / vnd die der Eil bedörffen / dardurch dan zu zeiten der obberührten / vnd andern obligenden mercklichen ſachen / der Chriſtenheit vnd deß Reichs mehr Verſaumnuß vnd Hindering / dan Forderung vnd Anßrichtung erwachſen mag; ꝛc. ſo haben wir Macht vnd Befelch ertheilet / den wir auch hiemit in Krafft dieſes Brieffs geben / alle vnd jede vnſere / als Römiſchen Königs vnd deß Heil Reichs Sachen / Recht / Fried / vnd ihrer beyden Vollziehung vnd Handhabung / auch Widerſtand gegen den Vnglaubigen / vnd andern Anfechtern der Chriſtenheit / deß Reichs / vnd das an dem Frieden / vnd obgemelten wiederſtand hanget / oder darzu dienſtlich oder erſchieſlich ſein mag nach ihrem beſtẽ Verſtandnuß zu handlen / rathſchlagen vñ endlich beſchlieſſẽ jedoch auff ihr nachbemelte Pflicht / zu vnſerm vnd deß Heil. Reichs Ehr / Nutz / vnd Mehrung. Iſte quidem

Arum. c.4. §.50. de Comitiis.

ſpecioſus erat prætextus,ſed alia ſuberat cauſa,quam principes diſſimularunt,ea fuit metus dominationis Auſtriacæ, videbant enim ordines Maximil.I. potentiam indies incrementa capere, veriti igitur,ne libertas ſucceſſu temporis in diſcrimen adduceretur, Regimentum inſtituerunt. Hinc patet quænam ſit (3.) *Cauſa Efficiens.* nimirum principes cum viderent,Maximil. I. potentiam æquo latiorem fieri, hunc quaſi obicem dominationis obiecerunt conſtitutis nempè poſt Comitiis. Notamus (4.) *Aſſeſſores.* Abſolvebatur hoc Regimentum viginti perſonis, quæ ex ſingulis ordinum Claſſibus deligebantur. Præſes erat vel ipſe Imperator, vel Comes quidam ut Baro; Adiungebatur etiam Vicarius Elector tanquam temperamentum autoritatis Imperatoriæ. (5.) *Negotia.* Erant hæc arcana & ardua Reipublicæ,ſi quæ incidebant remotis arbitris, vel ſine mora diſcutienda. (6.) *Poteſtatem.* Quia Regimentum hoc referebat totum imperium, ideoque ampliſſima erat præditum poteſtate, ita ut non tantum ex nutu atque conſilio Imperatoris penderet,ſed etiam ex iure & maieſtate Ordinum. (7) *Tempus.* Fuit hoc anno 1500. Non duravit diu inſigne hoc libertatis ſtabilimentum,ſiquidem anno 1612. revocata ſunt annua Comitia. Inſtitutum quoque eſt *Conſilium imperii aulicum.* **Der Reichs Hoffrath**/octo perſonis conſtans, quarum quatuor à reliquis Imperii ordinibus denominabantur. Sed reſtituta illa annua Comitia diu non durarunt; nam Carolus V. anno 1521. Regimentum reſtituiſſe videri volebat, verùm poteſtate longè anguſtiore quàm olim erat, quæ deinde magis magiſque decreſcebat, creſcente potentia Caroli V. & conſtituto Rege Romano. In ſpeciem inſtitutus eſt *dies deputationis*, in quo ardua imperii negotia tranſigerentur. Inſtitutus eſt hic conventus potiſſimum anno 1555. eo fine,ut exortis gravioribus in imperii motibus, quibus ſedandis non unius, duorum, trium, quatuor,vel quinque, ſed plurium circulorum ſubſidio auxilioque ſit. Moguntinus Elector, deputatos Francofurtum convocat ad conficienda placita, quæ pro Imperii Receſſibus habeantur. vid.R. J. 55. §. **ſo ſich dann** Arum.cap.2.de Comit.§. 33. Ad eandam claſſem pertinent *Comitia Electoralia vulgò* **Churfürſten oder** *Collegial*-**Täge.** orta ex Indulgentia Caroli IV.

li IV. quibus indicendis vel habendis Electoribus eſt facta poteſtas, ne periculoſi in imperio orirentur tumultus, aut nocivæ adverſus ſalutem eius molitiones. Adiungendi ſunt *Circulorum Conventus*. Fuerunt autem initio Circuli VI. nempè Francicus, Bavaricus, Suevicus, Rhenanus ſuperior, Weſtphalicus & Saxonicus, quibus proceſſu temporis quatuor alii additi, Auſtriacus, Burgundicus, Electorius Rhenanus, & ſuperior Saxonicus. Inſtitui ſolent vel ordinariè vel extraordinariè, ordinariè bis vel ſemel, de probandis monetis, contributionibus, executionibus ſententiarum, præſentatione Aſſeſſorum Cameræ. Extraordinariè convocantur, cùm ſubſidium charitativum exigit, ad bella, vel alia aliqua Cæſaris poſtulata. Tandem huc quoque ſpectat *Camera Spirenſis*, quæ æquali poteſtate hanc maieſtatem ſibi attribuit, habito nimirum ibi *Conventu Viſitatorum* imperii cauſa conſtituto. Adminiſtrabatur autem hæc Viſitatio ab Electoribus quibusdam & Principibus ad hunc Conventum de mandatis, quod hodiè obſolevit, ſiquidem, ne multorum interventu magni conficerentur ſumptus, eò res redacta, ut ſoli Electori Moguntino, diem Viſitationis annuatim indicere, ab Imperatore reliquisque ſtatibus fuerit impoſitum, quanquam hoc munus tanta autoritate irrogatum, ut alternis annis propria ſua præſentia illic comparere cogatur, licet cæteris permiſſum, ut per legatos rem expediant ſin minus hanc legem Imperatoriam obſervaverit, 5000. florenos Rhenenſes pro ſuſtentatione Cameræ Imperialis ſolvere tenetur. Arum. c. 2. §. 49. R. I. anno 1570. § Auß beſondern erheblichen Vrſachen iſt in der Ordnung / auch in Abſchied anno 66. für gut vnd nöhtig angeſehen / welchermaſſen zu vnſers Kayſerlichen Cammergerichts Jährlicher Viſitation ein Fürſt oder fürſtmäſſig Perſohn ſelbſt / bei pöen 1000. Goldgülden auff den 1 Tag May gewißlich erſcheinen vnd ſolchen neben vnſern Commiſſarien vnd andern Ständen abgeordneten Viſitatorn beywohnen ſol. Dieweil aber vergangener Zeit / etliche Fürſten zur Viſitation beſchrieben / dannoch auſſenblieben / vnd derentwegen die auffgeſetzte Pöen als etwas zu gering geachtet worden: So wollen wir auff beſchehene Vergleichung mit abweſenden Churfürſten / Fürſten / vnd gemeinen Ständen / auch der andern abgeſandten weiters ſtatuiret vnd

geord-

geordnet haben/ wann der zur Viſitation beſchriebener Fürſt / oder fürſtmäſſig in der Perſohn ſelbſt / noch auch durch keinen andern Fürſten oder fürſtmäſſigen / an ſeine Statt zur Viſitation vermocht/nicht erſcheinen würde/ ſo ſoll derſelb damit 5000 Goldgülden wie auch ein jeder von den andern zur Viſitation erforderten Ständen / da derſelb keinen qualificirten dahin angeordnet hette/ damit 1000 Goldgülden / zu Unterhaltung unſers Cammergerichtes ohn alles excipiren/entſchuldigen/oder widerreden/unnachläſſlich zuentrichten/und zuerlegen ſchuldig ſein ꝛc.

XXXIII. Sed nos miſſis eiusmodi particularibus conventibus, ad generalia nos convertamus, viſuri in brevi compendio, quid de ipſorum natura & ratione ſtatuendum ſit. Occurrit autem primariò *Cauſa efficiens*: ubi quæritur, *Cuius ſit indicere Comitia?* R. Imperatoris illud eſſe proprium, neque tamen abſolutè & independenter, ſed cum conſenſu Electorum, id quod ſtatutum eſt poſt mortem Maximiliani I. in Capitulatione Caroli V. ubi conqueruntur ſtatus inter alia, daß der Keyſer Maximilianus viel Reichs-Tage angeſetzt. Unde aliæ formulæ introductæ ſunt, quando Comitia erant indicenda: Wir haben auff vorhergehenden Raht-wiſſen / und Bewilligung gemelter unſerer und deß Reichs Churfürſten/nicht umbgehen können eine gemeine Reichs-Verſammlung außzuſchreiben. ut ſonant verba Receſſus Ferdinandi I. Auguſtæ dati. anno 1559. Veſtigia reſtrictæ huius poteſtatis deprehendimus iam in Reformatione Frid. III. de anno 1442. ubi inter alia ita loquitur: p.14. Mit Beyweſen und Raht/unſer und deß heiligen Reichs Churfürſten und Fürſten/Geiſtlichen und Weltlichen/Graffen/Freyen/Ritter/Knecht und Städt / die wir dadurch ſie ſelbſt / oder ihre mächtige Send-Botten darumb inſonderheit her zu Uns zukommen gebotten und geheiſſen haben/&c. Noſtris temporibus longè magis confirmatum hoc eſt, ſicut patet ex articulo 14. Capitul. Ferdinandi IV. artic. 17. Leopoldi præſentis Imperatoris ubi & hoc conſtitutum eſt, ut Imperator etiam de tempore & loco Comitiorum habendorum cum Electoribus tranſigere cogatur; ubi diſtinctio obſervanda inter Comitiorum promulgationem, & promulgandorum poteſtatem. Pro-

Grundfeſte deß heiligen Römiſchen Reichs. p.1. cap.14.

mulgatio fit ſolius Cæſaris nomine, ſed poteſtas promulgandi pertinet etiam ad Electores; unde etiam literæ invitatoriæ ita formantur, ne quid libertati germanicæ decedere videatur. Quod ſi Imperator Romanus abſit, Rex Romanorum Comitia indicere poteſt, ut patet ex Receſſ. Imper. anno 1555. §. vnd im Fall. Idem poſſunt Elector Palatinus & Saxonicus coniunctim ſumpti, tanquam Vicarii Imperii. Tit. V. Aur. Bull. Caroli IV. Quæris, *quid faciendum, ſi unus vel alter Electorum diſſentiat?* ℞. ſi maior pars conſenſerit, unius vel alterius diſſenſus negligitur, ſicut & in Electionibus fieri ſolet; Hoc ipſo excluditur arrogantia Pontificis Romani, qui & ipſe hanc imperii Maieſtatem ad ſe pertrahere in animum induxit: Tentavit hoc Paulus IV. apud Ferdinandum I. Imperatorem, memorante Goldaſto. part. 5. der Politiſchen Reichshändlen.

XXXIV. Materia Comitiorum, ſ. illi, qui ad Comitia vocari ſolent, alia eſt in hodiernis Comitiis, alia fuit in Vetuſtioribus. Nam in his ut vetuſtioribus omnes promiſcuè vocabantur, ut conſtat ex Tac.: c. 11. de moribus germanor: ſed quia promiſcua hæc convocatio multa ſecum trahebat incommoda, ad pauciores rediit numerus; ut conſtat ex Hincmari Archiepiſcopi Remenſis Epiſtol. 3. ad Carol. Craſſum. cap. 29. p. 35. Operum. Dum inquit: *Conſuetudo tunc temporis talis erat, ut non ſæpius, ſed bis in anno Placita duo tenerentur, unum quando ordinabatur ſtatus totius regni ad anni vertentis ſpatium, quod ordinatum nullus eventus rerum, niſi ſumma neceſſitas, quæ ſimiliter toti regno incumbebat, mutabat, in quo Placito generalitas univerſorum maiorum, tàm Clericorum, quàm Laicorum conveniebat, ſeniores propter conſilium ordinandum, minores propter idem conſilium ſuſcipiendum, & interdum pariter tractandum, & non ex poteſtate, ſed ex proprio mentis intellectu vel ſententia confirmandum.* In illis v. ut recétioribus certus delectus ſolet haberi; neq; n. promiſcuè omnes ſolent convocari, ſed *Status imperii*. Sunt autem Status imperii, qui non nuda convocatione ad Comitia nec præſentia ſolum accedunt, ſed qui ſuffragia in iis ferunt. Sunt triplicis ordinis, & pertinent ad eos etiã Holſati, Ratzevilius in Lythuania, nec non Tranſylvanus princeps. Ad eosdem etiam Mediolanenſis Dux, Mantuanus, Montis Ferratenſis Marchio, Mutinenſis Dux, & Sabaudus, referuntur. Poſſunt quoque Ordines duo in membra dividi ac diſtribui, ut alii ſint

Grundfeſte deß heiligen R.R. p.1. c.5. *Ordines Politici*, alii *Eccleſiaſtici*. Politici ſunt, *Imperator*, *Principes*, *Comites*, & *Barones liberi*, *Civitates*; Excluduntur Duces Sileſiæ mediatè ſubiecti, & Nobiles immediati, Helvetii, Civitates Hanſiaticæ. Arum. cap. 4. de Comit. Non prætermittendum eſt, quod Pontificis confirmatio non requiratur in Principibus Eccleſiaſticis, ita ut etiamſi in ſuo vel Epiſcopatu, vel Archiepiſcopatu nondum ſit confirmatus, tamen ad Comitia vocari poſſit, tanquam princeps nimirum imperii.

Grundfeſte deß heiligen Römiſchen Reichs. p.2. p. 61. ſeqq. XXXV. Forma Comitiorum variis illis actibus qui durantibus Comitiis aguntur abſolvitur. Fiunt autem vel mediatè vel immediatè: Initiò quidem ab ipſo ſacratiſſimo Imperatore propoſitio fuit peracta, ita ut per illum etiam Ordines neceſſitate quadam fuerint convocati, ſiquidem his abſentibus nihil deliberari nihil concludi aut contribui debuit. Poſtea verò S. C. Maieſtati placuit illam mediantibus aliis proponere, ad hoc verò idoneus habitus eſt Mareſchallus, (celebre enim, & graviſſimum, nec non vetuſtiſſimum munus fuit, teſte Carol. IV. in 27. cap. l. 6. A. B.) vetuſtiſſima fuit hæc dignitas, dum tempore Frider. I. & Ottonis IV. jam dum floruit, anno 1209. cuius iuris dictio adhuc propagata eſt; ut ſuperioribus temporibus omnes lites, omnesque querelæ, ad ipſum fuerint delatæ; hodiè adhuc maximam aulæ curam gerunt in excipiendis Statibus, aſſignandis hoſpitiis, procuranda annona, nec non aliis rebus & imperialibus & aulicis præſunt. In proponenda propoſitione hoc officii genus ipſi demandatur, ut Status omnes & ſingulos certo & deſtinato tempore convocet, idque per literas, autoritate ac nomine Imperatoris ſingulatim unicuique Electorum transmiſſas, ut eò frequentiores ſua ipſorum præſentia adſint, nec ullam oblivionis cauſam prætexere poſſint. Improbandus namque fuit hic eorum mos, quod vel non advenerint, vel ex aſſe non reſponderint propoſitioni, ſed eam coarctare, limitare, nonnunquam planè detrectare ſoliti fuerint; ut refert Tacitus de Moribus Germ. c. 11. *Vt turbæ placuit, conſidunt armati, ſilentium per Sacerdotes, quibus tum & coërcendi ius erat imperatur. Mox Rex vel Princeps, prout ætas cuiq; , prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur, autoritate ſuadendi magis, quàm iubendi poteſtate. Si diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur: ſin placuit frameas concutiunt &c.*

Huic ſententiæ ſubſcribit Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis Ep.3.c.34.p.39. *Proceres verò prædicti, ſive in hoc, ſive in illo præfato Placito, quin & primi Senatores regni, ne quaſi ſine cauſa convocari viderentur, mox autoritate regia per denominata & ordinata capitula, quæ vel ab ipſo per inſpirationē Dei inventa, vel undique ſibi nuntiata poſt eorum abſceſſum præcipuè fuerant, eis ad conferendum, vel ad conſiderandum patefacta ſunt.* &c. Fuit autem hæc convocatio tàm potens & valida, ut ſi non lubenter adeſſe velint, literis hoc tenore conſcriptis cogi atque compelli poſſint; (interim tamen nequaquam quicquam libertatis Statibus adimitur, ſi non ſolum citantur, ſed & accedere iubentur.) Dieweil ihr dahin nicht kommen ſeyd / oder Niemand geſchickt habt / von ewrentwegen da zu ſeyn / inmaſſen wir euch vormahls geſchrieben haben / begehren wir von euch / vnd erſuchen euch / auch noch ernſtlich / daß ihr euch auff N Tag / da wir widerumb nach vnſerer Crönung zu Franckfurt perſöhnlich ſeyn vnd bleiben wollen / zu vns dahin füget / oder aber wo ihr das durch Ehehafften Noth willen nicht thun könnet / ewere vollmächmächtige Bottſchafft dahin ſchicket / ob den Ehegemelten Sachen zu ſeyn / vnd die zum beſten fürzunehmen / vnd zubeſchlieſſen / vnd wollet euch daran keinerley irren laſſen / ſondern thun als ihr Gott / vnd dem heiligen Reich / vnd euch ſelber wohl ſchuldig ſeyd / vnd wir euch wohl getrawen &c.

XXXVI. Sacra a. ante omnia maximoperè initio ſunt obſervanda, ita ut ab illis initium rei fiat. Electio Cæſaris v. eſt res non minimi momenti, nec ſine altiſſimi directione probè peragi poteſt, ideoque & Electoribus & Statibus Religionis cura maximopere ſit commendata, ut ſacra devotis precibus ineant, inita continuent, continuata ead. devotione abſolvant, quod hodiernis adhuc obſervatur Comitiis. Iis potiſſimum, in quibus Imperator ſolet eligi, dum ante Electionē (lubet e. Ritum breviter recenſere) templum accedunt, precibus ab Electoribus unà cum Cæſare habitis, iuramentum ipſis præſtare Imperator tenetur, tùm fidelitatis, cùm protectionis; ubi annuit, in pectus & caput, & brachiorum flexus, manuumque palmas illum inungit Colonienſis, quia olim Aquisgranum in diœceſi Colonienſi eſſet ſitum, ideoque ius remanſit. Unctum Moguntinus & Trevirenſis rurſus in templum abducunt, & preces habentur, poſt Imperator enſem evaginatum ab Electore Colonienſi reci-

ſi recipit, quo Rempublicam univerſumque imperium gubernet, hoc in vaginam recondito, annulus ipſius digito inſeritur, pallio regali induitur, ſceptro ac poma, orbis terrarum figuram repræſentante, donatur, ac tandem diadema capiti imponitur, & con gratulatio à Moguntino Electore habetur. Teſte Sleidano. l. 2. Comment. de Statu Relig. & Reip. p. 50. R. J. de ann. 1582. p. 702.

XXXVII. Præſente nunc novo Cæſare, vel ſaltem eius Commiſſario, (ſi morbo vel alia aliqua de cauſa detineretur,) proponi ſolet propoſitio, qua recitata Cæſar Status & Electores diligenter hortatur, ut puncta in medium allata diligenter examinare, de examinatis probè deliberare velint, poſtquam hoc feciſſent, in præſentia ipſius Cæſaris Moguntino Electori, ArchiCancellario, reſponſionem reddere incumbebat, unà cum debita gratiarum actione pro Cæſaris cura paterna, qua & imperium afficit, & ipſos præſentes complectitur; ſe verò nomine præſentium, Cæſar. Maieſtatem rogare, ut eam ſibi deſcribendam dari iubeat, quo magis ipſos de propoſitione conſulere liceat: Sin verò Cæſar ipſe non adſit, non per ArchiCancellarium, ſed per Cancellarium ſolum reſponſio habebatur; ut patet ex R. J. ann. 1598. Ratiſponæ actis. Dictata propoſitione ArchiMareſchallo hoc officium erat demandatum, ut omnium ordinum ſtatus ad diem & horam ad deliberationem punctorum propoſitione contentorum convocet, primum autem Sereniſſimo Electori Saxoniæ, ſi præſens adeſſet, ſchedula transmittebatur, qua ipſi & dies, & hora, ad deliberandum indicebatur, ſimulque inſcripta erat materia in ea, de qua deliberari propoſitum eſſet, quæ deliberatio quidem diverſis temporibus diverſa fuit, alia tempore Caroli Magni; alia tempore Friderici III. De priſcorum Imperatorum temporibus docet Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis. Ep. 3. cap. 35. Opp. p. 40. inquiens: *Si tempus ſerenum erat, extra, ſin autem, intra diverſa loca diſtincta erant, ubi & hi abundanter ſegregati ſemotim, & cætera multitudo ſeparatim reſidere potuiſſent, prius tamen cæteræ inferiores perſonæ intereſſe minimè potuiſſent. Quæ utraque tamen Seniorum ſuſceptacula ſic in duobus diviſa erant, ut primò omnes Epiſcopi, Abbates, vel huiusmodi honorificentiores Clerici absque ulla Laicorum commixtione congregarentur. Similiter Comites, vel huiuſmodi Principes ſibimet honorificabiliter à cætera multi-*

tudine

tudine primo manè ſegregarentur, quouſque tempus ſive præſente, ſive abſente Rege occurrerent: & tunc prædicti Seniores more ſolito, Clerici ad ſuam, Laici verò ad ſuam conſtitutam curiam, ſubſellius ſimiliter honorificabiliter præparatis, convocarentur. Qui cum ſeparati à cæteris eſſent, in eorum manebat poteſtate, quando ſimul, vel quando ſeparati reſiderent, prout eos tractandæ cauſæ qualitas docebat, ſive de ſpiritualibus, ſive de ſæcularibus, ſeu etiam commixtis. Similiter ſi propter quamlibet veſcendi vel inveſtigandi cauſam quemcunque convocare voluiſſent, & re comperta diſcederet, in eorum voluntate manebat. hactenus ille. Sint autem in deliberatione lenti, ac rem probè conſiderent, adhibeant induſtriæ celeritatem & diligentiæ tarditatem. Gell. l. 10. cap. 11. Noct. Att. ne vel in dicendo peccent, vel ſententiam mutaſſe videātur. Ordinem ſedendi hunc habent. Moguntinus ut Collegii Decanus primum tenet locum, à cuius dextris Palatinus, à ſiniſtris Trevirenſis die prima, alter, Colonienſis primo loco ſedent, reſervata tamen Trevirenſi prærogativa voti, poſt Saxo, & tandem Brandenburgicus. Alii h. m. referunt à dextris, ſed aliquando inferius Moguntinum, iuxta Bavarienſis & Brandenburgici legatos, à ſiniſtris Palatinum, propè hunc Colonienſis & Saxonici legatos, è regione verò S. Cæſar. Maieſtatis ſolum Trevirenſem locum tenere. Grundfeſt deß heiligen Römiſchen Reichs. p. 2. c. 2. p. 79.

XXXVIII. Peracta Seſſione Moguntinus per Cancellarium Coëlectores, itemque abſentium nuntios interrogari curat de modo in deliberatione punctorum obſervando, ne autem confuſio in ſententia referenda fiat, in conſultando ordinem propoſitionis ſequi oportebat, ut eò facilius uniuscuiusque ſententia à Cancellario concipi poſſet, quæ deinde in Senatu Electorum à Moguntino proponebatur, & quò maior pars ſuffragia tuliſſet, id pro concluſo habebatur; addita tamen hac conditione, ut vota non incerta, non ambigua, nec conditionata, ſed clara & puta ſient; ne periculoſæ exinde oriantur Disputationes, ita ut ſi quis (cui competit ius dandi votum) perſiſtat in aliqua eiusmodi reſponſione, confeſtim ius voti amiſerit, atque ſine ulla exceptione ad reliquos Electores reciderit. Vota eorum in conventu publicè perquirebantur, utpote quod vice Mareſchallo competit, qui primo ab Eccleſiaſticis, dein à ſecularibus ſuffragia fert, & quidem lingua vernacula. Lehm.

 l. 5. Chro-

L5. Chronic. Spirenſ. c. 107. quanquam aliàs in ſecretiori fieri receptum ſit loco, ſcriptis in ſchedula nominibus, inter quæ unum, quod votatori placuerit, ſimplici puncto notet, ſacco iniiciat, ac ſacerdos ſingulatim ſchedulas eximat, cui deinde maior numerus fuerit attributus, Imperator erit, atque hac ratione libertas in Electoribus, pax inter omnes conſervatur, multæque fraudes haud efficiuntur. Collectis nunc ſuffragiis *relatio* & *Correlatio* inter Electores & Status fieri ſolet, inter Civitates verò olim haud quaquam, ſiquidem harum votum non pro ſuffragio, ſed pro conſilio tantū habebatur, quicquid enim Electoribus cœteriſque principibus placet, id civitatibus ſine ulla contradictione pro more veteri aſſumendum eſſe, ita ut hac ratione Civitatibus non votum deciſivum ſed conſultativum competat. Grundfeſt deß heiligen Römiſchen Reichs. p. 2. cap. 6. p. 148. nunc verò hæ lites inter ſtatus & civitates pace Oſnabrugenſi ſublatæ ſunt, ita ut omnis dubitatio nunc pateat cum ibidem dicatur. Daß Beedes auff allgemeinen als beſonderen Particular Reichs-Verſamlungen denen Reichs-Städten weniger nicht als anderen Reichs-Ständen votum deciſivum zuſtehen ſolle. Si itaque diſſenſus inter Electores & Principum ſtatus extiterit, tamdiu ſuffragia feruntur, donec alter in alterius deſcendat ſententiam, atque ita ad pluralitatem votorum perventum fuerit. Si autem nullo modo convenire poſſiunt, conſulere Imperatorem neceſſe eſt, cuius rationes & argumenta probè conſiderari oportet, atque cum Cæſarea Maieſtate de iis tamdiu diſceptare licet, donec invicem unanimi conſenſu unum concluſum affirment. Sin interpoſitionem & argumenta Cæſareæ Maieſtatis affirmare nolint, ut ita Cæſarea Maieſtas ex hac parte, Status ex illa conſtanter permaneant, arbitrantur nonnulli, cauſam uſque ad alium conventum differendam eſſe; ne quicquam affirmaretur, quod & Receſſibus Imperii, & Autoritati Cæſareæ Maieſtatis contrariaretur.

Grundfeſt p. 2. cap. 8. p. 172. & c. 10. p. 177. 178.

XXXIX. Varia atque diverſa fuerunt, de quibus in Comitiis agi moris fuit, ut teſtis eſt Tac. c. 11. de morib. German. inquiens: *De minoribus rebus conſultant Principes, de maioribus omnes, præcipuè autem peraguntur ea, quæ ad ſalutem, vel ſtatum Regis & Regni pertinent.* Confirmat hoc Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis

Ep. 3. c. 33.

Ep. 3. c. 33. Opp. p. 38. *Præfatorum autem Conſiliariorum intentio, quando ad Palatium convocabantur in hoc præcipuè vigebat, ut non ſpeciales, vel ſingulares quaſcunque vel quorumcunque cauſſas, ſed nec etiam illorum, qui pro contentionibus rerum aut legum veniebant, ordinarent, quousque illa, quæ generaliter ad ſalutem, vel ſtatum Regis & Regni pertinebant, Domino miſerante ordinata habuiſſent. Et tunc demum, ſi fortè tale aliquid Domino rege præcipiente reſervandum erat, quod ſine eorum certa conſideratione determinari à Comite Palatii, vel à Cæteris, quibus congruebant, non potuiſſet.* quo pertinent ea quoque, quæ vel ad ſtatum Imperii conſervandum, vel redintegrandum faciunt. R. A. de anno 1512. §. wir Maximilian ver. Deßgleichen ob jemands im Reich/oder auſſerhalb deß Reichs daſſelbige anfechten/ oder bekriegen wolte/dem wiederſtand zuthun/vnd nicht der Meinung / daß wir / oder die Stånd jemands muthwillig vnter vns ſelbſt / oder andern fürnehmen bekriegen wolte / ſondern allein ad conſervandum & defendendum deß/ſo hierin geſchrieben ſtehet/ꝛc. Mos Religionis in Comitiis habendæ ceſſavit, ſiquidem pax tam ex parte Lutheranorum quam Pontificiorum indulta eſt ſtatibus, ita nullæ ut Diſputationes in Comitiis haberi debeant, quapropter omnis jurisdictio & cognitio in negotio Religionis Pontificis inhibita eſt. R. I. anno 1555. §. Damit auch obberührte &c. p. 309. Potiſſimum vero & plerumque in iis ſolet agi de *Contributionibus, ſ. Tributis*, ut quæ ad univerſam Remp. ſpectant, & ab ſtatibus omnibus Comitiis exiguntur, quoniam enim magni in Comitiis ſumptus conſumuntur, qui ut reſtaurentur, Tributa ſunt indicenda, ne eorum qui Comitiis adſunt, cadat autoritas, & ſubditorum obſervantia erga imperantes eò magis declaretur, aliàs enim univerſorum exinde oriretur deſtructio. Illorum præcipua ratio eſt. die Türcken ſteuer/hac de cauſſa ita dicta, ut à ſubditis Contributio poſcatur, eò melius contra Turcam bellum ut geri poſſit. Sunt autem duo ſolvendæ contributionis modi, der gemeine Pfenning vnd der Rômer Zug. quæ tamen pro ratione uniuscuiusque fortunæ exiguntur.

XL. Tractatur quoque de aliis rebus in Comitiis, utpote de *Monetis*, de *Matricula Imperii, quæ nihil aliud eſt, quam ſcriptum, in quo ſumma, quam ſtatus Imperio debent, continetur.* R. I. anno

1570. Si igitur dubium quoddam variationis & dubitationis ortum fuerit, matricula in archivo imperii repoſita omnis dubitatio tollitur. Dicitur autem Archivum imperii die Reichs Cantzley/ ut& archivum Imperatoris, cui præeſt præfectus dictus der Reichs-Cantzler. Placet autem nonnullis duo imperii Archiva tradere, unum, quo matricula imperii, acta publica, aliaque, quæ in Comitiis peraguntur, continentur. alterum dicitur *Camera imperialis*, cui ſimili ratione Cancellarius quidam, dictus der Verwalter præeſt; ſi itaque matricula hæc priſtinum ſtatum nondum recuperavit, redintegratio neceſſariò ſequi debet: ut patet ex R. A. anno 1613. §. Nach dem die Reichs matricul in groſſen Abgang vnd Ringerung gerahten/ alſo daß von denen in Wormbs/ anno 1521. zu dem Römerzug angeſchlagenen 4000. zu Roſſ vnd 20000. zu Fuß nicht der halbe Theil der Zeit von den Ständen deß Reichs richtig vertretten worden/ zu geſchweigen/ daß ihr viel noch moderation ſuchen/ andere aber auff eine gewiſſe Zeit moderiret worden/ ſo anjetzo nicht mehr nach dem alten Anſchlag contribuiren/ theils aber/ welchen die contribution erhöhet/ von den moderationibus appelliret haben/ vnd aber offt genug angezeiget worden/ wie hoch vnd wie viel der Keyſerlichen Majeſtät ſo wohl als deß heiligen Reichs Ständen in gemein an Ergäntzung angedeuter Reichs matricul wegen der Reichs Anlagen/ der Executions Ordnung vnd andern gefällen mehr gelegen &c. Hactenus Receſſus. De inveſtituris ibidem agi ſolitum fuit, ſed more vetuſto, qui nunc temporis non amplius obſervatur.

XLI. Habita ſunt olim Comitia diverſis in locis, vel ſub *Dio*, tempore Caroli M. & ſucceſſorum, vel in *villis*, antequam Civitates muris cingerentur, propter amœnitatem locorum, præcipuæ villæ vero hæ fuerunt. Rheins/ Lohenſtein/ & Franckfurt. Vel in *civitatibus*, quod adhuc hodiè moris eſt, ne ſcilicet ulla mora, vel impedimentū illis interveniret, mox enim Wormaciæ, mox Ratisbonæ, mox Auguſtæ Vindelicorum, mox Francofurti ad Mœnum, qui plerumque ad hæc ſtabilitus eſt teſte Onuphr: Pamphinio. c. 7. §. 2. p. 117. certus tamen locus denotari haud poteſt, ubi in perpetuum habeantur. Præcipuè verò tenetur imperator pro ratione A. B. primum

mum Conventum Noribergæ celebrare, niſi impedimenta excuſatione digna propoſuerit; unde Ferdinandus III. cùm primùm Ratisbonæ celebraret Comitia, excuſavit ſe, quod Noribergam non elegiſſet. De tempore hoc conſtat, olim moris fuiſſe ſingulis annis generalem inſtituere conventum, qui per menſem duraret. Ordinat: Pacis. anno 1495. §. Daß ein Reichs-Tag nicht über einen Monat / &c. idque propterea, ut eò melius publica quies, atque tranquillitas, iis de ſalute Reip. conſulentibus, conſervari ac tueri poſſit, id quod hodiè tamen non amplius in uſu eſt, ne Electores & Status ſumptibus & laboribus onerentur, ſed tantum indicuntur, quoties id publica Utilitas aut neceſſitas poſtulaverit; addita tamen hac conditione, ut novus Imperator ſingulis VI. annis aliquem præter neceſſarios inſtituere debeat; atque Comitia, ad ſummum, intra trium menſium ſpatio abſolvat, niſi negotia Regni diuturnius indicant tempus, neceſſitati enim lex non eſt poſita.

XLII. Tandem abeunt in *decretum* Comitia, dicitur aliàs *Receſſus*, qui publicantur, & partim in Archivis Moguntinis, partim etiam penes Cæſarem reponuntur, quibus ſubſcribere ſolent Status, ſi profeſſi ſunt ea, licet poſtea adverſus eos proteſtati fuerint. Ne autem ſubſcriptioni huic nimium fidei attribuant, aut moleſtiam quandam de illa capiant, ideo ſingularis quædam Concluſio de non præiudicando R. I. coniungitur, ac his finitis prælegunturu *Receſſus* à Cancellario Moguntinenſi, ut & ſingulis ſtatuum Exemplar communicatur. Succedit & *Obſignatio Sigilli*, quandoquidem aliquando ſolum Imperatorem ſigillum ſuum appoſuiſſe conſtet, tamen de novo conſtitutum, ut & Deputati, & Electores, alternatim ſubſcribant, quia obligatione illa omnes Electores & Principes Statusque ſeſe Imperatoriæ Majeſtati ad conſervationem & executionem contra Violatores datæ ordinationis devinxerunt. Limn. l. 9. c. 1. §. 212. 213. I. P. Grundſ. deß heil. R. R. p. 2. c. 10. pag. 182. Atq; ſic finiuntur Comitia, attamen Statibus priusquam diſcedere haud licitum, niſi prius reverentia debita à ſacra Cæſarea Majeſtate veniam impetraverint.

EPILOGVS.

Finem diſſertationi noſtræ imponimus, plura addituri, niſi vel aliorum diligentia, id jam præſtitiſſet, quorum veſtigia nos in præcedentibus preſſimus, vel ratio inſtituti Academici ſuaderet, quæ brevitatis nos vult eſſe ſtudioſos. Propoſitum nobis erat materiam aliquam proponere, quæ publica diſputatione ventilaretur, quem finem nos aſſecutos ſperamus.

DEO nos noſtraque ſtudia porro commendamus, cui ſit laus & gloria in ſæcula ſæculorum

AMEN.

Politiſſimo Domino RESPONDENTI
Amico & Conſalino dilectiſſimo.

HEINZI noſter Amor, laris & bona portio noſtri
Lipſiacæ conſtans obſes Amicitiæ:
Muſarum perdocte Comes: te ſplendida virtus
In ſublime feret, fama ſequetur anus.

ſcribebat
IOH. CONRADUS DANHAVERUS. D.

Præſtantiſſimo Domino Reſpondenti!

CVr mihi nulla fluant nunc carmina? quæris, Amice!
Eloquar, in cauſa fervor amoris erat.
Abſtulit hic modicum quod erat mihi nuper aquarum.
Nam ſitibundus amat lambere fervor aquam.
Nec tamen & mentem, qui carmina ſuſtulit ignis,
Abſtulit, illa manet, dum mihi vita manet.
Tu modo, qualis eras ſtudiis & moribus olim,
Perge tuis felix artibus eſſe Sophus.

Symbolum, quod
in gratiam dilectiſſimi ſui Heinzii
adjecit,

BALTHASAR BOEBELIUS SS. Theol. Doctorand. &
PP. Extraord. Eccleſiaſtes, & Alumnorum
Inſpector.

HEINZI, Pieridum decus perenne,
Atque HEINZI Themidos decus futurum;
Felix principium eſt boni laboris.
Sic exempla tuæ domus ſequeris.
Sedes pro Cathedra ſublimiores
A te Aſtræa dabit ſolo reducta.

amoris ergo

appoſuit

PRÆSES.

Eximio

Eximio & Doctiſſimo Domino Georgio Hainzio.

AMbitus, & nummi, & prenſatio, ſæpè Quiritum
Campum obtinebant olim, ut & ſuffragia:
Te vero, virtus ſimul & doctrina locabit,
Petiti honoris in ſupremo culmine.

Amicitiæ teſtandæ ſcr.

ROBERTUS KOENIGSMANNUS,
Eloquentiæ Profeſſor.

IVs indicendi Comitia *differe, quid ſit,*
Vtiliora etenim vix documenta dabis.
Hinc ita Laus creſcet Tibi, gloria, fama perennis,
Cumque Tuis, MATRI dulce levamen eris.
Aſt, olim quid ſi Legati *munus obires?*
Addubitat nemo; Faxit Iova, precor!

Nobiliſſimo DN. HAINZIO, Fautori & Conterraneo ſuo honoratiſſimo pauca hæc gratulabandus appoſ.

GODFRIDUS WILLICHIUS, Hamb.

QVanta ſit Ingenii tibi vis, tua pagina docta
Comprobat egregiè.
Quod ſi ſic pergas, tandem patriæque, Deoque
Proderis; Hem facito!

Ita Pereximio ac Nobiliſſimo DN. Reſpondenti, Fautori ac Conterraneo ſuo longè dilectiſſimo ex animo vovet & gratulatur.

M. PETRUS SABEL. Hamb.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.